HOMILIARIUM, U.A. GREGORIUS MAGNUS
Entstehungsort unbestimmt, 1424
Seite 73r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

De dilectione conditoris lingua
mens et vita requiratur. Nunquam
est dei amor ociosus. Operatur
etenim magna si est; si vero operari
renuit amor non est. Et sermo-
nem quem audistis non est meus
sed eius qui misit me patris. Ca-
rissimi fratres. Verbum quia ipse qui
loquitur unigenitus filius ver-
bum est patris et quia semper
loquitur. Et ideo sermonem quem
loquitur filius non est filii sed
patris quia ipse filius verbum
est patris. Hec locutus sum vobis
apud vos manens. Quando non ma-
neret apud eos qui ascensurus
in celum promittit dicens: Ecce ego
vobiscum sum omnibus diebus usque
ad consummationem seculi. Sed verbum
incarnatum et manet et rece-
dit. Recedit corpore et manet
divinitate. Apud eos ergo man-
sisse se perhibet quia qui invisi-
bili semper potestate presens erat corpo-
rali iam visione recedebat. Para-
clitus autem spiritus sanctus quem mit-
tet pater in nomine meo ille doce-
bit vos omnia et suggeret vobis
omnia que dixero. Nostis fratres
mei plurimi quod greca locutione
paraclitus latina advocatus dici-
tur vel consolator. Qui ideo advo-
catus dicitur quia pro errore
delinquentium apud iusticiam
patris interuenit qui unius sub-
stancie cum patre et filio exora-
re pro delinquentibus perhibetur
quia eos quos impleverit exora-
tores facit. Unde et paulus dicit
Ipse enim spiritus postulat pro nobis
gemitibus inenarrabilibus. Minor
vero est qui postulat quam qui
postulatur. Quomodo ergo spiritus pos-
tulare dicitur qui minor non
est. Sed ipse spiritus postulat qui
ad postulandum eos quos re-
pleverit inflammat. Consolator
autem idem spiritus vocatur quia
de peccati perpetracione merentibus
dum spem venie preparat ab affli-
ctione tristicie mentem levat.
De quo recte promittitur: Ipse vos
docebit omnia, quia nisi idem
spiritus cordi assit audientis ocio-
sus est sermo doctoris. Nemo
ergo docenti homini tribuat quod ex
ore docentis intelligit quia
nisi intus sit qui doceat docto-
ris lingua exterius in vanum
laborat. Ecce unam loquentis
vocem omnes pariter auditis nec
tamen pariter sensum audite vo-
cis percipitis. Cum ergo vox dis-
par non sit, cur in cordibus vestris
vocis dispar est intelligencia
nisi quia per hoc quod vox loquentis
communiter admonet est magis-
ter interior qui de vocis intelligen-
tia quosdam specialiter docet. De
hac unctione spiritus rursus per
Johannem dicitur: Sicut unctio
eius docet vos de omnibus. Per
vocem ergo non instruitur qui
mens per spiritum non ungitur. Sed
cur ista de doctrina hominum loqui-
mur quando et ipse conditor non ad
erudicionem hominis loquitur si eidem
homini per unctionem spiritus non loquitur.
Certe caym priusquam fratricidium
ope perpetraret audivit peccasti